

*sanctam, firmam, super Petram edificatam.* Etiam si verò ipsa phrasis de struenda Nomini divina domo possit æque facile per verba seorsim posita de domo lapidea, quam de domo spirituali exponi: quia & τὸ ΝΙΝ solitariè consideratum æque facile ad merum hominem, & semen Davidis Φιλανθρώπως sumtum potest applicari: atque ad Christum velut Semen Davidis Θεανθρώπως sumtum regula tamen hermeneutica hic observari meretur sequens: Quoties phrasis æque commode sumi posse videtur & de re merè naturali atque humana, & de re fidei supernaturali ac divina: toties sensus fidei supernaturalis præferendus est in Scriptura S. expositione. Jam vero augustior sensus est de domo DEI spirituali, quam de domo DEI externa, ex lapidibus & cæmento ac simili materia confecta, & cum cæteris circumstantiis conjunctus non tantum æque commode, sed etiam tantum commode de domo spirituali valet: ergo omnino hic sensus de domo spirituali alteri sensui, de domo lapidea vel cedrina præferendus, itaque & Filius DEI Christus, non vero Salomon hic intelligendus est.

Atque huic Messiaë, huic Filio Davidis inter reliqua etiam prædicata omnia (s) competit magnifica illa dictio: *Ego ero illi in Patrem, & ille erit mihi in Filium*, quæ verba iterum absolute posita in hominem merè talem non conveniunt, sed augustiorem personam requirunt: quæ de re ex Parallelismo inferius dicendi locus supererit. Neque enim in Salomonem quadrant ita simpliciter posita, unde, cum de eo tale quidpiam profertur, id partim ad gratiosam selectionem ad filiationem spirituales refertur, partim cum hypothesei perseverantis fidei dicitur (juxta font) I. Chr. XXVIII. 5. 6. 7. Conf. cap. XXII. 9. 10. 13. Atque inde etiam id profluxit, quod non semper Pater ejus fuerit DEUS, nec ille semper DEI Filius esse potuerit, dominante scilicet in eo sic peccato originis, ut veram DEI reverentiam amoris uxorum luarum postponeret I. Reg II. De Filio autem DEI etiam in humana natura